

118

116

122

112

127

107

167

067

217

017

Ende

Anfang

107

dum fieret, incepit nos dolosus ille jucundius aspicere et familiam in adjutorium nostrum advolare; multis modis interim, quod cum eo fuimus, mulcetavit nos mendaciis et prodigionibus. Dixit enim se deditse nautis 24 ducatos pro navi et nauo, quod non fuit verum, et litteras ad Alexandriam promisit Trutschelmanno dicens, nos esse divites et liberales, ideo deberet sine metu postulare. Igitur peractis omnibus Tanguardinus equum ascendit et cum suis famulis nos per civitatem eduxit, numquam autem tantam difficultatem habuimus penetrando populum, sicut illa vice; graves enim molestias (**112 a**) nobis intulerunt, percussionses, trusiones, in-clamationes, derisiones. Inter haec quidam de peregrinis dejectus fuit de asino et adeo male multis plagis percussus, quod forte diebus vitae sua dolorem capitum sentiet et cum hoc omnia quae habuit, retro dereliquit et adjutorio cuiusdam Saraceni in asinum relevatus fuit. Ab his molestiis non poterat Tanguardinus nos protegere, quia, ut saepe dixi, vici civitatis illius sunt pleni populo, et transeuntes in equis, asinis, aut camelis, non possunt in cumulo, nec duo simul ad latera transire, sed unus post alium per primum facto impetu in populum ad dandum locum transeundi. Sicut ergo Tanguardinus praecedens populum fuste caedebat et de via fugabat pro via danda, nec retro attendere poterat, quae erga nos agebantur; caesi enim ab anterioribus sequentes, propter quos caesi fuerant, caedebant.

Cum magno ergo labore et anxietate in Balachum venimus, ubi Nilus decurrit, et multas naves in ejus portu stabant; Mauri autem illi, qui nos ducturi erant, nos videntes de navi exilierunt et omnem nostram suppellectilem navi intulerunt; erat autem navis spatiosa et pulchra, solum pro nobis conducta. Porro Tanguardinus longam collocutionem cum nautis nostris habuit, nec aliud suspicor, nisi quod dixerit eis dolum istum, quod non obstante solutione nostra sibi facta, possent in Roseto iterum a nobis exigere, sicut et factum fuit. Deinde venit ad nos, ducens secum Mamalucum quendam, dictum Halliu, quem saepe prius videramus, hunc constituit suum vicarium super nos usque in Alexandriam. Erat autem ille Halliu vir pallidus et callidus, conditionibus meis penitus disproportionatus; quam cito enim eum aspexi, diffidentiam et displicentiam in eo habui et ipse in me etiam, ut saepe rei probavit eventus. Opera et verba ei displicita non dimisi; nec

